



SUPPLEMENTUM  
AD  
**LIBRUM III.**  
TRACTATUM I.  
DE  
**PERSONIS, REBUS, ET  
JURIBUS ECCLESIASTICIS.**  
PARS I.  
DE PERSONIS ECCLESIASTICIS.  
CAPUT I.  
De Personis Ecclesiasticis in genere.

SUMMARIÆ.

- |   |   |
|---|---|
| <p>1. De Eremitis remissivè. 2. &amp; 3. Non gaudent privilegio Canonis, etiamsi in alicujus Ecclesia servitio sint. 4. Nisi vivant in communi. 5. Uti nec immunes sunt ab oneribus realibus &amp; mixtis. 6. Qualiter Clerici certa Ecclesia sint adscribendi, explanatur. 7. In dubio præsumuntur adscripti Ecclesia Cathedrali. 8. Clerici, in Minoribus constituti, non fruuntur privilegio canonicis, si habitum non portant. 9. Quamquam S. Congregatio videatur esse contraria. 10. Saltem ubi nulla præcessit declaratio. 11. &amp; 12. Refertur constitutio Benedicti XIII. circa Clericos in Majoribus, decentem habitum non portant. 13. &amp; seqq. Ostenditur, quod Laici haud licitum sit, portare vestimenta Clericalia.</p> | <p>9. Quamquam S. Congregatio videatur esse contraria. 10. Saltem ubi nulla præcessit declaratio. 11. &amp; 12. Refertur constitutio Benedicti XIII. circa Clericos in Majoribus, decentem habitum non portant. 13. &amp; seqq. Ostenditur, quod Laici haud licitum sit, portare vestimenta Clericalia.</p> |
|---|---|

QUÆSTIO I.

Quâ ratione Eremitæ accenseantur personis Ecclesiasticis?

1. **E**xplanavi hanc quæstionem in *prof. cap. num. 110. & seq.* & ut video, non ab simili modò eandem discussit Eminentiss. Petra in *Comment. ad Constit. Apost. to. 1. pag. 297. à n. 1.* Nihilominus, quamvis in *pag. 299. n. 14.* Eremitis, qui habitum Eremiticum auctoritate Episcopi suscipiunt, & alicujus Ecclesie servitio ab eodem addicti sunt, privilegium fori tribuat, privilegium tamen canonicis, si Clerici aliunde non fuerint, haud indulget; secutus Fagnanum in *cap. nullus de Foro compet. n. 62. & Pignatellum tom. 8. consult. I. n. 15.* quia scilicet hoc privilegium propriè non habet locum, nisi contra percutientem Clericum, vel Monachum, ut habetur in *cap. si quis suadente 29. XVII. q. 4. & in cap. non dubium 5. de Sentent. excommunic. & eum, qui religiosè vivit in societate, seu Collegio, etiam non sit verè regularis, hoc est, sub regula approbata à Sede Apostolica, prout exprimitur de conversis in *cit. cap. non dubium, & in cap. parochianos 9. de de Sent. excommunicat. & de Novitiis in cap. religioso 21. §. quamvis eod. tit. in 6.* Et licet ex mente Sacre Congregationis nomine Monachorum veniant Eremitæ; tamen intelligi id debet de Eremitis, in communi viventibus: quia tunc ratione distinctionis in Collegio Ecclesiastico assumunt qualitatem religiosam, ob cujus reverentiam datum fuit privilegium canonicis.*
2. **E**x eadem ratione *cit. Petra pag. 301. num. 37. & seqq.* deducit, hujus generis Eremitas non gaudere exemptione ab oneribus realibus & mixtis, sed tantum à personalibus, ne distrahantur à servitio Ecclesie, cui sunt addicti.

QUÆ.

QUÆSTIO II.

Qualiter Clerici certæ Ecclesie sint adscribendi?

6. **E**xstat super hoc ordinatio Concilii Trid. *sess. 23. de Reformat. cap. 6. & 16.* nec non major explicatio in Concil. Rom. *noviss. tit. 2. cap. 2.* jam supra in *ro. I. tract. 4. cap. 3. num. 4.* allegata hisce verbis: Clericali consuetudine nullus initiatur, nisi eodem tempore Ecclesia illi adscribatur, pro cujus servitio debet ordinari. Si qui verò sint, etiam Minoribus, aut Sacris Ordinibus insigniti, qui nulli certæ Ecclesie fuerint adscripti, Episcopi adscriptionem hujusmodi, etiam à suis Prædecessoribus amissam, suppleant, & pro arbitrio servitium, toties quoties fuerit præstandum, designent: quam adscriptionem quoad eos, qui jam promoti extra diocesim vel studiorum causâ, vel aliâ, ab Episcopis probata commemorantur, ad tempus, ipsimet Episcopis bene visum, differri posse, indulgemus &c. In dubio, ubi non constat, cujusnam Ecclesie servitio aliquis fuerit adscriptus, ex sententia Eminentiss. Petre *cit. tom. 1. pag. 329.* præsumitur adscriptus Ecclesie Cathedrali loci, in quo fuit ordinatus ab ejus Ordinario.

QUÆSTIO III.

Quâ penâ afficiantur Clerici, habitum & tonsuram non portantes?

8. **J**am dixi in *hoc cap. num. 163.* de Clericis, in Minoribus constitutis, quòd, si habitum & tonsuram non portaverint, fori privilegio non gaudeant; & in *num. 164.* idem dixi de aliis privilegiis: quamquam, si spectentur declarationes Sac. Congregationis Concilii, quas adducit contra sensum & sententiam aliquot Rotæ decisionum Eminentiss. Petre *tom. 4. pag. 458. num. 45. & pag. seq. num. 46. & 47.* cæteris privilegiis adhuc fruuntur;
9. **S**altem, ubi prævia monitio & sententia declaratoria Episcopi non præcessit: stante enim hac declaratoria, videntur juxta conclusam hujus Authoris *tom. 2. pag. 376. n. 50.* Clerici hujusmodi instar Laicorum esse considerandi.
10. **D**e Clericis autem beneficiatis, qualescunque fuerint, à Sanctiss. D. N. Benedicto XIII. in sua constit. quæ incipit: *Catholica Ecclesia*, data sexto nonas Maji Anno 1725. decretum est, Ordinarios locorum, ubi beneficia sita sunt, contra ipsos, vestes laicales deferentes, non modò procedere posse, sed etiam debere per citationes, Jurisque ordinationis obtentorum beneficiorum ferre, & pronuntiare, ita tamen, ut eadem beneficia Romani Pontificis collationi, provisioni, ac omnimodæ dispositioni reserventur, & reservata censeantur; quin etiam expressè sancitur, ejusmodi beneficiatos ex mero facto inestis in habitu laicali, quamvis nulla præcesserit Ordinariorum sententia declaratoria privationis beneficiorum, qua obtinent, imò etiamsi nulla citatio, monitio, vel alius judicialis actus in eos fuerit institutus, ipsò jure amissionis & privationis fructuum prædictorum penam incurrere, ita ut illos nullò modò percipere, nec percipios retinere, vel facere suos possint, sed ipsos absque ulla proventus diminutione ad commodum fabricæ Ecclesiarum, in quibus erecta sunt beneficia, illico sub pena lethalis culpa restituere teneantur; à qua quidem restitutionis obligatione à nemine, præterquam à Romano Pontifice (sublatâ cæteris omnibus, etiam Penitentiaria Apostolica officio, & majori Penitentiario condonandi facultate) absolvi, & liberari possunt. Reperitur hæc constitutio in *Append. Conc. Rom.*

QUÆSTIO IV.

Licetumne sit Laicis, vestes Clericales portare?

13. **L**icitum non esse, eruitur ex *cap. un. de Bigamis in 6.* ubi Clerici bigami omni privilegio clericali nudantur, & sub anathemate prohibentur deferre tonsuram vel habitum clericalem. Cardin. de Luca de *Jurisdic. disc. 93. num. 12.* Quia in re, cum in Urbe Romana à multis annis ingens obrepisset abusus, ut multi Laici, & uxorati, præsertim qui in Curia versantur, promiscuè vestimentis clericalibus uterentur, varii Pontifices eundem abulum abolere conati sunt; donec modernus S. Pontifex Benedictus XIII. in Concilio Romano *tit. 16. cap. 4.* statuerit. Laicis curialibus, inquit, cum saepe sit eis in Palatio nostro Apostolico versandum, sæpissimeque etiam cum Cardinalibus & Prælatibus agendum, togam clericalem nigram communem facimus: at collaria, Clericorum propria, siue rotunda sint forma, siue quadrata, penitus prohibemus eisdem, & prohibita jam sibi esse sciant: tenore servato nostri Edicti die 22. Jan. 1725. Vid. Eminentiss. Petre *to. 5. pag. 512. sub num. 15.*

T 2

CA.

## CAPUT II.

## De Personis Ecclesiasticis seu Clericis Sæcularibus.

## SUMMARI A.

1. Clerici non possunt esse tutores testamentarii & dativi aliorum hominum, quam personarum miserabilium. 2. Possunt tamen esse tutores legitimi. 3. & 4. In quo foro ratione tutela sint conveniendi? 5. & 6. Addu-

citur decretum Visitationis Apostolica circa negotiationes Clericorum & Regularium. 7. & seqq. Declaratur, de quibus negotiationibus sit intelligendum. 10. & seq. Clericis pauperibus non est prohibita agricultura.

## QUÆSTIO I.

## An Clerici possint suscipere tutelam vel curatelam?

1. FUGIENS hanc quæstionem examinat Pignatell. tom. 5. consult. 10. & tandem in n. 10. ponit regulam, quod Clerici non possint agere tutorem & respectivè curatorem ex testamento vel datione Judicis, nisi pupillorum pauperum aut personarum miserabilium, ad quorum Curam non à Sæculari sed Ecclesiastica solùm potestate cogi possunt per textum in cap. ult. Dist. 84. cap. licet 1. Dist. 87. cap. pervenit 1. Dist. 86. possint autem agere tutores legitimos, si velint, dum persæpe ab iis, qui sanguinis nexu conjuncti, & simul servitio Ecclesiastico dedicati sunt, tutela aut curatela fidelius administranda speratur d. cap. ult. Dist. 86.
2. An verò in cala, quò actio contra tuto-

res aut curatores instituitur, in foro Sæculari respondere teneantur? Dubium non leve est, non quidem, si tutoriò aut curatoriò nomine conveniantur, ubi magis personam alienam quàm propriam sustinent; verùm si propter culpam aut negligentiam in sua administratione commissam nomine proprio conveniantur? Pro utraque enim parte Pignatell. d. consult. 10. num. 14. & 15. Authores enumerat; & tandem in num. 16. putat, non esse recedendum à sententia, receptà etiam à Sacra Congregatione, ita tamen, ut non possint in persona puniri, sed in bonis, saltem ubi Sæculari potestati subjecti sunt arg. cap. Sacerdotibus 2. Ne Clerici vel Monachi &c.

## QUÆSTIO II.

## Quales negotiationes &amp; artes Clericis sint vetitæ?

1. Pignatell. d. tom. 5. consult. 84. num. 15. & seqq. ex decreto Visitationis Apostolicæ die 29. Augusti 1637. vi cujus Regularibus quibuscunque in Urbe & intra illius districtum prohibetur, ne imposterum, sive Religionis nomine sive particulari audeant & præsumant per se vel per alios exercere in suis Conventibus aut alibi in quocunque loco ullam venalem artem, sive aromatoriam, sive pistoriam, laticificum, textrinam, aut aliam quamlibet, præterquam pro suis, Religiosorum aut alumnorum usibus, nec ullò modò Sæcularibus aut aliis Religiosis & Ecclesiasticis pharmaca, panem, carnes, aut alia quælibet opificia quomodocunque elaborata & ornata vendere etiam prætextu amicitia & familiaritatis &c. ex hoc, inquam, decreto, infert, ob eandem rationem disciplinæ & honestatis Ecclesiasticæ ubique locorum conservandæ, id etiam extra Urbem quoad Clericos Sæculares & Regulares esse servandum. Id ipsum tradunt Monacelli in formul. leg. pract. p. 2. form. 4. tit. 14. num. 17. & Mathæucci in Offic. Eccles. cap. 33. num. 31. allegatò noviori decretò de Anno 1693.
2. 28. Febr. Verùm id decretum unicè procedere, quando solius lucris gratià ejusmodi

artes exercentur, aut artefacta venduntur, non verò si primariò & per se non exercentur nisi ad usum proprium & domesticum, & quod superest, vendatur extraneis eò fine, ut v. g. nova pharmaca aut materialia pro instruenda denuò officina comparentur, satis apparet ex alio decreto, quod affert Pignatell. d. l. num. 23. in f. ubi Sacra Congregatio Episcoporum & Regularium die 26. Maji 1602. & 11. Octobr. 1647. declaravit, permitti posse Regularibus & Monialibus, præsertim pauperibus, ut vendant medicinalia suæ aromatoria, ea renovandi gratià, maximè pretiis moderatis. Unde generalitèr apud plurimos receptum est, posse à quibuscunque personis Ecclesiasticis exerceri artes, v. g. pistoriam, braxatoriam, aut cauponariam, & ex frumento, hordeo, tritico, aut uvis, ex suis prædiis collectis, pinsi panes, coqui cerevisiam, parari vinum, atque aliis justò pretiò vendi, dummodò id fiat per alios. Pignatell. d. l. num. 32. Mathæucc. d. l. cap. 33. num. 9. 10. 15. & seqq. Clariff. P. Schmalzgrueber ad tit. Ne Clerici vel Monachi num. 17.

Planè, quòd Clerici pauperes ex artificio & agricultura victum sibi querere valeant, du-

dubitare non licet, si exempla Apostolorum, SS. Patrum, & Virorum Ecclesiasticorum, pietate ac virtute excellentium, considerentur; estque textus in cap. Clericus 2. & 3. Dist. 91. Pignatell. tom. 7. consult. 72. num. 2.

& seqq. Quòdve Clerici in fundis propriis agriculturam per suos famulos exercere possint, rursus certum existimat cit. Pignat. n. 6. arg. cap. presbyter 1. §. deinde vers. exeat ad rurale de Celebrat. Missar.

## CAPUT III.

## De Religiosis, seu Clericis Regularibus.

## SUMMARI A.

1. Agitur de Virginibus Anglicis. 2. Earum regula fuit à Clemente XI. approbata. 3. Non verò ipsarum institutum. 4. Non sunt verè Regulares. 5. Tractatur de habitu personarum Regularium. 6. Non licet alicui habitum alterius Religionis assumere. 7. Aut habitum

proprium deponere sub pœna excommunicationis. 8. & seq. Quam non incurrunt Regulares Cardinales aut Episcopi. 10. & seqq. Religiosus, factus Episcopus, ligatur omnibus votis. 13. & seq. Exponitur textus in cap. un. XVIII. q. 1. 15. De aliis materiis remissivè.

## QUÆSTIO I.

## Utrum Anglæ seu Anglicanæ Virgines sint verè Regulares persone?

1. ANGLARUM seu Anglicarum Virginum originem eruditè refert ætate & meritis Venerabilis senex, Eximius D. P. Corbinianus Khamm in prodromo part. 3. Regular. relat. 6. a num. 3. Harum vivendi regulas Clementis XI. sanct. mem. sibi oblatas Año 1703. die 13. Junii quidem confirmavit & approbavit, additâ tamen notabili clausulâ, quòd per hoc non intenderit ipsum conservatorium in aliquo approbare: ex quo laudatus Khamm num. 92. rectè concludit, hoc institutum non

esse Religionem propriè dictam, & quâ talem ab Ecclesia approbatam, sed collegium quoddam devotarum Virginum, cum nexu trium votorum simplicium, in communi viventium; adeoque & ipsas Virgines non esse personas verè Regulares; prout etiam S. Congregatio Episcoporum & Regularium Anno 1706. die 15. Januarii declaravit; licèt illarum domus religiosas, & dictas Virgines Jurisdictioni & correctioni Ordinarii subiectas esse, censuerit.

## QUÆSTIO II.

## Quali habitu Regularibus incedendum sit?

5. VARIETATEM habitus & vestium, jam apud Gentes, ad indicandam statûs varietatem, inductam, indeque etiam ad demonstrandam inter Ordines Regulares differentiam, veluti signum distinctivum, receptam, pro sæpiùs laudata scribendi ratione, eleganter ostendit Eminentiss. Card. Petra Commentar. Apostolicor. tom. 5. pag. 508. n. 4. & seqq. Indeque non licet Religiosis unius Ordinis, habitum alterius Ordinis usurpare; neque aut Clericis vestimenta Regularia, aut Regularibus vestimenta Clericalia assumere concessum est. ut cum Gonzalez ad cap. intelleximus de Esate & qual. præsiciendor. num. 4. docet idem Petra pag. 510. num. 12. & seqq. imò etiam in pag. 509. num. 10. à S. Congregatione die 16. Januarii 1627. rescriptum fuisse, meminit, ne quidem pueris, sextò ætatis suæ annò expletò, licere deferre habitum Regularium. Quòd si Religiosus, quamcunque Religionem tacitè vel expressè pro-

essus, in scholis vel alibi temerè habitum Religionis suæ dimittat, excommunicationis sententiam ipsò factò incurrit ex constitutione Bonifacii in cap. ut periculosa 2. Ne Clerici vel Monachi in 6. A qua tamen excommunicatione immunes sunt Cardinales & Episcopi Regulares: qui, licèt habitum sui Ordinis quoad colorem deferre teneantur, nihilominus, ut differit cit. Petra pag. 517. num. 17. sunt extra Religionem quoad vim coactivam, ita ut requiratur specialis eorum mentio, nec possint venire sub nōmine & turba professorum, de quibus loquitur Bonifacius in d. cap. quotiescunque ad statum & dignitatem Cardinalitiam vel Episcopalem fuerunt elevati; eoque magis, quia cessat causa & ratio textus, ne vagentur professi extra obedientiam Superiorum habitu dimissò; quod non est verificabile in Regularibus Episcopis & Cardinalibus.

## QUÆSTIO III.

An Religiosi, ad Episcopatus assumpti, à suis Votis & obligationibus Regularibus absolvantur?

- 10 **D**iscussus hic articulus fuit in hoc cap. à num. 255. Pro supplemento adjiciendum I. Religiosos, ad Episcopatus assumptos, manere obnoxios tum Voto castitatis, quod neminem magis decet & consecrat, quam
- 11 Episcopum; tum Voto paupertatis, dum nequitiam indecorum, sed, ut loquitur cit. Eminentiss. Petra tom. 3. pag. 207. num. 43. ad normam potius antiquorum Canonum valde consonum est, ut Episcopus, quamvis Regularis, sit omnis domini expers: cum enim Episcopus sit perfectionis exemplar, ab his mundanis se abstrahere debet juxta illud D. Augustini: *minus DEUM amat, qui cum DEO aliquid possidet*; tum Voto obedientiæ, quod quidem respectu Superioris Regularis suspenditur, transfertur autem in Summum Pontificem, cui Episcopus immediatè subjicitur, non solum ob generalem subjectionem, ei debitam ab omnibus fidelibus, sed etiam ob particularem, in actu promotionis Episcopalis ab ipso juratam: quamque etiam eidem Pontifici, uti Generalissimo omnium

Religionum, in ipsa professione monastica saltem implicite promissit. Petra pag. 206. num. 38.

II. textum in cap. un. XVIII. q. 1. ubi dicitur, Episcopum per canonicam electionem à jugo monastica Regula absolvi, ita intelligendum, quod absolvatur tum à jugo subjectionis erga Superiorem Regularem, tum à jugo ipsius Regulæ, quatenus vim coactivam complectitur, & transgressores subijcit pœnæ; salvâ cæteroque manente obligatione regulari, quæ continet vim directivam, eaque præcipit, quæ cum statu Episcopali non sunt compatible, uti v. g. est solitudo, silentium, vigiliæ & alia, in quibus Episcopus saltem dispensare potest secum, sicut ipse Superior Regularis secum dispensat ex causa rationabili. Petra d. tom. 3. pag. 204. num. 28. & seqq.

Restarent adhuc ampliora, de Regularibus dicenda, quæ tamen in separata quondam elaboratione congerere cogito, si Superis placuerit.

## CAPUT IV.

## De Capitulis Ecclesiasticis.

## SUMMARIUM.

1. Quando Capitulum est exemptum, nequit convocari à Vicario Episcopi. 2. Non-exemptum convocari potest. 3. Esto Vicarius non sit de gremio. 4. & seqq. Edocetur, qualis honor Episcopo competat in Capitulo sua Ecclesia, cuius est simul Canonicus. 8. Item, si compareat in Capitulo alterius Ecclesia. 9. & seqq.

In quibus casibus debeat Capitulum convocari? Aliorum opinio refertur. 11. Nostra sententia indicatur. 12. Sede vacante Capitulum tenetur Vicarium constituere. 13. Atingitur illius potestas. 14. Potest ad libitum revocari. 15. Saltem valide. 16. Fit mentio de administratore diocesis.

## QUÆSTIO I.

An Vicarius Episcopi possit aliquando Capitulum convocare?

- 1 **V**idendum, an Capitulum sit exemptum, nec ne. Primò casu Vicario nulla est potestas, Capitulum convocandi ex Concil. Trid. sess. 25. de Ref. cap. 6. ibi: *nec ad id Vicarius Episcopi admittatur*. Secundò casu potest convocare Capitulum in causis, quæ perfici nequeunt absque Capituli voto & consensu v. g. in alienatione rerum immobilium Ecclesiæ: cum enim ejusmodi potestas Episcopo competat jure Ordinario, Vicario quoque communicari potest. Fagnanus in cap. cum ex injuncto de N. O. N. num. 28. Eminentiss. Petra in

Comment. ad Constitut. Apostol. tom. 1. pag. 68. num. 51. & seqq.

Neque officit, quod Vicarius non sit de corpore & gremio Capituli: ex hoc enim tantum inferitur, quod nequeat congregare Capitulum in negotiis, ubi agitur de interesse solius Capituli; secus autem in aliis, ubi Capitulum auctoritate Superioris congregatur pro necessitate actus, assensum Capituli requirentis; uti respondit Rota in Hispanensi coram D. dell' Olmo §. tanto magis & c. apud cit. Petram n. 53.

QUÆ.

## QUÆSTIO II.

An Episcopo debeat prima Sedes in Capitulo, quando intervenit tanquam Canonicus?

- 4 **C**ontingit interdum, ut Episcopus simul sit Caput & Canonicus alicujus Capituli, atque aded in illis etiam casibus, in quibus agitur de interesse solius Capituli, intervenire valeat. In hac igitur hypothesi non dubitat memoratus Petra d. tom. 1. pag. 74. num. 76. quin Episcopo debeat sedes ex Concil. Trid. d. sess. 25. cap. 6. ibi: *Episcopis præterea utique is honor tribuatur, qui eorum dignitati par est, eisque in Choro, & in Capitulo, in Processionibus, & aliis actibus publicis sit prima sedes, & locus, quem ipsi elegerint, & præcipua omnium rerum agendarum auctoritas*. Indeque etiam cætera insignia Episcopalia, pulvinare, horologium, tintinnabulum ipsi competunt. Card. de Luca de Præminent. disc. 41. num. 4. Licet actus con-

secutivi actum Capitularem, puta convocatio, receptio votorum, conclusio &c. pertineant ad illum, qui alias in rebus Capitularibus præsidium & directionem habet. Petra d. l. pag. 75. n. 78.

Quod si Episcopus sit Canonicus alterius cujusdam Ecclesiæ Cathedralis, seclusâ consuetudine contrariâ, & inspectâ Jure Communi, debet ratione præfulgentis suæ dignitatis immediatè sedere post primum seu præsidem illius Capituli, citra tamen alias prerogativas horologii & tintinnabuli, prout idem Petra adstruit d. l. pag. 74. num. 75. adducens Rotam dec. 307. num. 3. & 4. coram Capuaquensi. p. 1. & in cit. Hispan. §. fin. coram Olmo, & in Asturicensi præminent. 2. Junii 1704. §. sentiebant & §. fortius coram D. Ansaldo.

## QUÆSTIO III.

Utrum ad actus Capitulares etiam absentes à loco vocari debeant?

- 9 **G**lossa in cap. presentium de Testib. in 6. verb. ipsorum &c. in tribus duntaxat casibus absentes esse vocandos existimat, nempe in electione, receptione Canonicorum, & cessatione à Divinis. Quam glossam Eminentiss. Petra d. l. pag. 65. n. 38. & seqq. sequitur, & pag. seq. n. 41. eatenus declarat, ut, aliquò absentium extra præfatos actus non vocatò, actus, à præsentibus gestus, nequeat ab absente sub prætextu contemptus impugnari; nisi fortè non adessent duæ partes de Capitulo, in quo eventu ab-

sentium quoque vocationem necessariam judicat.

Ego in terminis Juris hoc cap. num. 33. & 15 seq. tenui aliam regulam, & omnes, qui debent, volunt, & commodè possunt interesse, vocandos esse, censui; habeoque in puncto alienationis rerum Ecclesiasticarum consentientem Abbatem ad cap. 2. de N. O. N. num. 10. aliosque relatos per Rotam in decis. 887. num. 6. coram Merlino; ad consuetudinem tamen, quæ in simili materia est securissima Magistræ, denuò me remitto.

## QUÆSTIO IV.

An & quatenus Vicarius Capitularis Sede Vacante constitui debeat?

- 12 **D**iscimus id ex Concil. Trid. sess. 24. de Reformat. cap. 16. quod vult, ut Capitulum Officiale seu Vicarium infra octo dies post mortem Episcopi constituat, vel existentem confirmet; & cum antecederet voluerit, ut unus vel plures economi decernantur, satis innuit, non nisi unum Vicarium constitui posse; nisi immemoriali consuetudine aliud fuisset introductum. Pirhing ad tit. de Officio Vicarii n. 77.
- 13 **Q**uamnam sit hujus Vicarii potestas, relucet ex dictis in lib. 1. tract. 5. cap. 6. n. 46. Ea tamen, sicut ab Episcopo vivente & regnante, ita à Capitulo, Sede vacante, restringi & limitari potest. Fagnanus ad cap. his qua 11. de Major. & obed. num. 23. &

74. Potest etiam ad libitum Capituli revocari, vel etiam ad certum tempus constitui juxta duplicem Sac. Congregationis declarationem, quam affert Fagnanus ibid. num. 72. Licet, ut revocatio sit licita, rationabilem causam desideret Pirhing cit. tit. num. 79. quia, si ad nudum libitum revocatio foret concessa, non ita liber esset Vicarius in administranda justitia.

De administratore Diocesis, quem S. 16 Pontifex interdum Sede Vacante, subinde vivente Episcopo propter aliquod impedimentum diuturnum concedit, textus est in cap. ult. de Supplem. negligent. Pralat. in 6. agitque Pirhing ad eund. tit. n. 20. & seqq.

PARS